



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 65. An & aliis modis quam calumniosè accusanto delinquant accusatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

n. 3. hodieum adhuc infligi potest à Judice ecclesiastico, teste Barbol. in c. 1. h. t. num. 3. & Diaz. *pract. crim. c. 37. n. 1.* apud Wiestn. n. 13. quæ locum principaliter habent in Clerico calumniosè accusante Clericum, non in Laico.

Quest. 65. An & aliis modis, quàm calumniosè accusando, delinquant accusatores?

Resp. Affirmativè nimirum prævaricando & tergiversando, ut dicitur L. 1. §. 1. ff. ad S. C. Turpill. Et quidem prævaricatio sumitur quandoque latissimè, prout continet omnes, quotquot à præscripto sui officii deflectunt, & hinc non solùm accusatores in publicis, sed & in extraordinariis iudiciis, inter prævaricatores censent tam Advocatos, quàm Procuratores, dum tacenda, manifestando, & manifesta tacendo, falsas exceptiones admittendo, probationes proprias omitendo vel dissimulando, vel alio modo dolosè agendo cum reo, ut is absolvatur, colludunt, & sic in speciem exterius hostem accusati, intus amicum fovent, Lauterb. in ff. de prævaric. §. 2. citans Menoch. de arbit. c. 323. n. 5. Quandoque latè & improprie pro Procuratore & Advocato tantùm, qui in iudiciis privatis modo prædicto agunt, quò etiam reducuntur, qui parti adversæ gratificando, clientem justè litigantem hortantur, ut transigat iniquis conditionibus, vel pro re utriusque partis litigantis patrocinantur: Secus, ac est in Notariis, qui ab utraque parte requiri possunt. Denique sumitur strictè & proprie, prout fit in L. 1. §. 1. ff. ad S. C. Turpill. Et prævaricatio ut talis, est accusatoris cum reo, cujus partes tacite fovet, dolosa collusio, vera ejus crimina abscondendo, & veris rei excusationibus, seu exceptionibus dissimulatis, nullius momenti ejusdem exceptiones admittendo in iudicio publico criminali, sicque translativè, id est, obiter & simularè munere accusatoris fungitur, Lauterb. l. c. Pirh. h. t. n. 1. Wiestn. n. 14. Reiff. n. 28. juxta L. 1. §. 6. ad S. C. Turp.

2. Tergiversatio est desistentia omnimoda accusatoris ab accusatione semel in iudicio inchoato, nulla illius abolitione facta, scilicet per Principem, aliamve auctoritatem publicam, intellige Judicis, à quo proinde impetrari debet, quique eam concedit causâ cognitâ, juxta L. 2. §. fin. c. de abolitione. Marant. p. 6. tit. de inquisit. n. 83. Lauterb. ad ff. ad S. C. Turp. §. 8. qua accusatus à reorum numero eximitur, & accusationis memoria aboletur; L. 1. §. ad S. C. Turp. juncta L. 12. ff. eod. Dicitur autem omnimoda desistentia, qualis non est, qua aliquantisper differtur accusatio, sed quando in toto affectus & animus agendi seu accusandi deponitur; L. 6. §. 1. & 2. L. 13. ff. L. fin. c. h. t.

Quest. 66. Qualiter puniendâ prævaricatio & tergiversatio?

Resp. Primò: Pœna prævaricationis inprimis est, infamia juris expressa per L. 4. ff. de prævar. Menoch. de arb. casu 323. n. 4. & hoc ipso etiam irregularitas. Thesaurus de pœnis ecclesiast. p. 2. v. accusator. c. 1. n. 3. & c. 2. Wiestn. h. t. n. 14. Reiffent. n. 29. juxta L. 1. §. 2. ff. de prævar.

2. Resp. Secundò: Pœna tergiversationis olim erat quinque librarum auri, per L. 3. ff. de prævar. aut juxta L. 1. c. ut intra certum tempus. pars quarta omnium bonorum, & de ea condemnatus reddebatur infamis; L. 2. v. eod. & consequenter irregularis Thesaur. l. c. 3. Hodiedum tamen, dum receptum est, ut accusatore ab accusatione de-

sistente Judex novo processu insituro procedat, ut Clar. §. fin. q. 58. n. 4. tergiversationis, si non ipsi crimen, saltem pœna sublata est, ut Thesaur. & Molin. de f. & f. tr. 3. d. 47. n. 10. & tr. 4. d. 9. n. 11. Unde etiam, ut Wiestn. num. 15. in fin. hodie nemo ex ea contrahit infamiam, adeoque nec irregularitatem, quippe quæ ipsi crimini tergiversationis imposita non reperitur, sed oritur ex infamia, si quam de illa condemnatus incurrit. Verùm hodieum tergiversationem puniri pœnâ arbitrariâ, nec referri, num desistatur per transactionem, (intellige in casibus, ubi transactio de crimine alias permittitur non est) an verò simpliciter, Lauterb. in ff. ad S. C. Turpill §. 4.

Quest. 67. Tergiversationis pœna quâ. Uter evitentur abolitione; quid ca sit, & quotuplex; qualiter, a quibus & pro quibus concedatur, quis ejus effectus?

Resp. Primò: Aliud nihil est, quàm necessitatis accusationem inchoatam prosequendi remissio; L. 13. §. 1. ff. ad S. C. Turpil. ut constat ex dictis paulò ante. Et, si ab accusatione semel instituta liceret pro libitu impunè desistere, esset in potestate & arbitrio accusatoris reum impunitate delicti donare, contra L. 14. c. de pœnis. Lauterb. in ff. ad S. C. Turpil. §. 5. Alia & generalis vel publica, quæ sine alicujus instantia propter publicam causam, v. g. ob insignem diem festum, vel publicam gratulationem, ob natalem filii, adeptam regni possessionem, victoriam, aliamve rem benè gestam, ob consecrationem templi, rei leviorum criminum ab accusatione eximuntur, ne tempore publicæ & communis lætitiæ in luctu hæreant, Lauterb. l. c. §. 10. qui tamen, dum addit limitationem: modò præstetur cautio ab incarcerationo, finitis feriis redeundi ad carcerem, videtur loqui non de abolitione absoluta accusationis, sed potiùs de dilatione illius; quod saltem in accusatione leviorum criminum non videtur conveniens, quin potiùs unâ cum accusatione ea ipsa crimina ob dictas causas aboleantur. Alia est abolitio specialis & privata, quam Judex competens accusatori ex justa causa petenti concedit: de hac itaque loquendo,

2. Resp. Secundò: Hæc abolitio non nisi ex justa causa concedi potest: causa autem impulsiva est petitio accusatoris; cum Judex officium suum non nisi imploratus concedat, juxta L. 10. ff. h. t. L. 2. c. & L. 4. §. 1. ff. de damn. infect. Causa autem justa est error, L. 15. ff. de jur. fisci. reg. 76. ff. de reg. jur. Inconsultus dolor suam & suorum injuriam defendentium; L. 1. §. fin. de postulat. cum durum videatur, ut, qui hac de causa ad accusationem profiliunt, æquali pœnâ cum aliis puniantur, cum tamen habuissent animum lædendi alterum, Lauterb. l. c. §. 7. si tamen ad abolitionem per deceptionem, aut pecuniâ corruptus ad perendam abolitionem: devenit accusator, petitio illius nullo modo admittitur; Lauterb. l. c. juxta L. 1. §. 3. ff. L. 2. §. 3. arg. c. de calumn. L. §. 9. c. 8.

3. Resp. Tertiò: Abolitio illa non petenda à Principe, sed à Judice; cum impetrari nequeat, nisi ab eo, cui cognoscendi & decernendi jus est. Lauterb. l. c. juncta L. 16. c. ad L. jul. de adult. L. 15. ff. de jure fisco.

4. Resp. Quartò: Concedi non potest sine prævia cognitione causæ, cit. c. 1. §. 7. & L. 2. de calumn. Et ut rectè fiat petitio & concessio, debent adesse partes, cit. L. 2. Lauterb. l. c. Potest tamen concedi